



(p.467.)

CAPVT XXI.

DE

OBLIGATIONE FEVDALI EX
QVASI CONTRACTV.

DISTINCTIO I.

*Inter debita feudalia et hereditaria
sive allodialia.**Rubrum ex-
plicatur*

Successor feudalis, in feudo ex pacto et prouidentia iure proprio succedens, ad debita ab antecessore defuncto contracta, promiscue omnia exsoluenda non tenetur. Sed momentosa satis hic occurrit distinctio inter debita feudalia, siue onera feudi, Germanis *Lehn-Schulden*; et debita hereditaria, vel allodialia siue onera vassalli, Germanis *Erb-Schulden*. Illa dicuntur, quae ex sua natura, vel consuetudine regionis vel addito legitimo pacto ipsum feudum afficiunt, ideoque pro onere reali feudo inhaerente, reputantur. Haec dicuntur, quae a vassallo in propriam suam vtilitatem contracta non feudum, sed bona tantum eius allodialia afficiunt.

*Vsus ostenditur.
[p.468.]*

Vsus huius distinctionis sat arduus. Ad debita enim feudalia etiam agnatus iure proprio succedens, ex feudo ad ipsum deuoluto, exsoluenda obligatus est. Imo etiam dominus feudo ad ipsum reuerso idem facere tenetur. Transeunt enim haec debita tanquam onera feudi realia cum ipso feudo ad quemcunque eius possessorem. Debita vero hereditaria, siue allodialia, nec agnatum, iure proprio in feudo ex pacto et prouidentia succedentem, nec dominum